VOTA, ET MOTIVA IN PROCESSV, IN CAVSA EGREGII DON Gabrielis Blasco de Alagon, super apprehensione in Regia Audientia præsentis Regni, & Scribania Ioannis Laurentij Descartin vertenti.

IN Dei nomine Amen. Cunctis pateat & notum sit, quod anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi, millesimo sexcentesimo vigesimo octauo, die vero connumerato octauo mensis Februarij, apud Ciuitatem Cæsaraugustæ, & in Camera Regij Consilij Ciuilis præsentis Regni Aragonum interuenerunt, & fuerunt præsentes Magnifici Domini Antonius Augustinus de Mendoza ordinarius Assessor, Martinus Godino, Hieronymus Marta, Ioannes Franciscus Salazar, & Dominicus Descartin, Regij Consiliarij; Coram quibus fuit positus processus in causa Egregij Don Gabrielis Blasco de Alagon, Comitis de Sastago, super apprehensione; in quo quatuor ex dictis Dominis de dicto Regio Consilio, fuerunt voti & opinionis, quod tenetur, & debet pronuntiare, & annullare prouisionem, executionem, & commissionem pręsentis apprehensionis, cum omnibus inde secutis, & declarare respectu iurium deductorum in octauo, nono, & decimo articulis appellitus præsentis apprehensionis, non fore procedendum ad vlteriora in præsenti Processu, & causa, vt per Didacum Pilares supplicatur. Ex eo & aliàs annullatur præsens processus, quoniam cum domus Villæ de Pina, tantum sit apprehensa respectu iurium deductorum in octauo, nono, & decimo articulis appellitus præsentis apprehensionis, quæ iura sunt incorporalia, & quæ de per se apprehendi non valent, sine subiecto, eã tamen domum non esse subiectum, cui cohereant iura præfata dicendum est; ex quo etenim homines habitatores, ac vicini dictæ Villæ, vt vniuersi, & singulariter, sint comprehensi, aut astricti, & obligati in dicta apprehensione respecto dictorum iurium, debitoq; siue dicta iura competant Egregio Comiti de Sastago, aut sunt personalia, aut realia, aut mixta, si personalia, non apprehenduntur, si realia, aut mixta, necessarium fuit apprehẽdi territorium, & Villa, cui coherẽt iura prædicta, nec sufficit dicta domus, quæ, nec est prædium vrbanum dominans, vel seruiens, sed qui debent sunt vicini nomine Vniuersitatis, cui debentur, Comes; vnde ad exercitium dictorum iurium, subiectum necessarium est territorium integrum dictæ Villæ, nõ dicta domus, in qua voluntariæ congregantur vicini nomine Vniuersitatis, cui debentur Comes, vnde ad exercitium dictorum iurium subiectum necessarium est territorium integrum dictæ Villæ. Non dicta domus, in qua, voluntariæ congregantur vicini; possuntque inire Concilium alibi, vel vti si decreuerint in platea, vel in alio loco eiusdem Villę; ergo non sufficit apprehensam fuisse illam domum respectu obligationis & iurium vniuersaliũ, & quæ se extendant ad territorium, & non ad illam domum per necesse: quid quod decretum apprehensionis fuit petitum à parte, & concessum à

 Iudice

Iudice respectu dictorum iurium, & contra illa quidquam ne fiat à vicinis dictæ Villæ, non solùm in dicta domo, sed alibi in quacumq; parte Villæ: quodquidem decretum indiuisibile est, ex quo procedit, ex eadem causa vniuersali, ex qua conceditur, & ad integrum solum, & territorium dictæ Villæ, non ad partem soli, & territorij qualis est domus, quæ non fuit nominata, in dictis iuribus prohibitiuis, & licet verum sit decretum apprehensionis diuidi posse respectu personarum, & rerum secundum veriorem, & communiorem doctorum censuram, respectu tamen iurium, aut quaquam, quando iura tendunt ad vnã vniuersalem causam, & vniuersalem latifundum, ne idem, & vnus actus pro parte valeat, & pro parte non valeat contra iuris regulas, sic visum est, quod si decretum sit à Iudice capi aliquem pro debito centum aureorum, nec constet nisi de quinquaginta non substinendum in dictis quinquaginta sit totum reuocandum, aut annullandum, quia hoc casu vtile per inutile vitiatur cum sit indiuiduum illud decretum, & iura siue causa illius decreti, etiam sunt indiuidua, quod etiam procedit in casu præsentis apprehensionis in quo iura prohibitiua ab vna causa procedunt: deinde latifundum tendunt scilicet ad territorium integrum dictæ Villæ, & ita concessum fuit decretum, quod minime gentium diuidi potest, etiam si posset verificari in vna parte latifundi videlicet in dicta domo, quod ambigimus, & valde dubitamus, quod enixius confirmari potest ponderatis, vt decet verbis dictorum trium articulorum octauo, nono, & decimo, ex quibus detegitur qualis fuerit mens petentis, & Iudicis decernentis apprehensionem intentio dignoscitur, vt non remaneat locus tergiuersationi, imò annullari debeat dicta apprehensio, quæ non potest substinere tamquã qualitas sine subiecto integrali in quo fundatur. Nec his refragatur, hæc omnia ad merita reuocationis huius apprehensionis pertinere, quæ cum bis fuerit confirmata de prædictis meritis tractari non potest, nam respondetur, non solum in reuocatione, aut confirmatione apprehensionis discuti posse hanc materiam verum etiam in nullitate, cuius quidem materia etiam sufficiens est, quæ nullitas opponi potest ante latam sententiam, non solum ab eo qui obtulit propositionem, & publicauit, verum etiam ab eo qui in processu se opposuit in termino à Foro prædiffinito; licet non obtulerit propositionem. Vnde Didacus Pilares bene potest dicere de nullitate, & pars est ad id legitima, quia, & se opposuit intra terminum, & propositionem similiter obtulit, & publicauit, in processu, & aliàs Attent. Content. &c. ALIVS vero ex dictis Dominis de Regio Consilio fuit voti, & opinionis, quod tenetur, & debet pronuntiare, & declarare, fore, & esse procedendum ad vlteriora in præsenti processu, non obstante annullatione supplicata, quæ locum non habet, Attent. Content. &c. EX eo, & aliàs pronuntiatur fore procedendum ad vlteriora, non obstante annullatione supplicata, quæ locum non habet: Quoniam non constat de aliqua causa nullitatis ad impediendum prosecutionem præsentis litis, & in ea diffinitiue pronuntiandum secundum merita processus, & iustitiam partium. Constat siquidem præsentem apprehensionem esse semel, ac iterum confirmatam, quo casu litispendentia continuari debet de Foro, vsque ad diffinitiuam senten-

tiam

tiam; Licet enim de nullitate agi possit, siue ante, siue post sententiam alleguetur (quod nullatenus ambigimus) at ea causa nullitatis, vt effectum sortiatur prositque ad annullandum processum, cum omnibus inde secutis postquam bis apprehensio est confirmata, non potest, nec debet annullari ex causa, quæ præexistebat tempore confirmationis, & á Iudice fuit, vel esse debuit cognita, neque etiam ex quacunque causa nullitatis, sed ex ea solum, quæ expressa est, & oculis intuentium clara; non verò ex ea, quæ per iuris interpretationem, quodque plures potest habere intellectus, aut quæ potest se habere ad esse, aut non esse, vt notissimum est aliàs enim ex sola deficientia actionis agentis, vel apprehendentis postquam apprehensio bis esset confirmata posset reuocari. Vnde cum nullitas de qua in præsenti processu tractatur, non sit expressa, neque à Foro, neque à iure, sed respiciat merita causæ apprehendentis ad obtinendum, vel non sufficiens minimè existimatur ad annullandum præsentem processum per viam extinctionis causæ, sed solum ad recipiendum, vel non admittendum propositionem eiusdem. Neque obstat seruitutes, & alia iura incorporalia, qualia sunt à Comite de Sastago prætensa, cum sint qualitates, & accidentia non posse subsistere, aut apprehendi, sine subiecto cui adhereant; cumque iura deducta in articulis octauo, nono, & decimo, appellitus respectu quorum domus de la Villa apprehensa extitit cohereant principaliter totæ Villæ, & toti territorio, & non domibus tantum ipsiue Vniuersitatis videbatur dicendum totum territorium, domorumque Vniuersitatem esse apprehendendam, non verò solam domum ipsius Villæ, sicque non existente subiecto integrali, cui cohereant apprehensionem tamquam sine subiecto passiuo executatam esse annullandam. Augeturque difficultas, nam iura respectu quorum domus de la Villa apprehenditur, sunt ne concilium congreguetur sine Comitis licentia, neue si in eadem officiales creentur, aut à Comite creatis certis solemnitatibus adhibitis iuramentum denegetur, imò pro talibus habeantur, & alia similia, quæ cum à tota Vniuersitate Comiti debeantur, erat, & tota Vniuersitas domorum, & territorij apprehendenda, præsertim cum ius congregandi concilium, non in domibus apprehensis, sed in tota Villa, & Vniuersitate exerceatur: ergo ex defectu subiecti, cui adhereant apprehensio reuocanda venit. Fatemur namque verum esse seruitutes, ac jura incorporalia, non posse esse sine subiecto, cui adhereant, & insuper jura præfata esse talia, quæ possunt in tota Vniuersitate, & territorio exerceri meliusque fuisse totum territorium apprehendere, quam solum domum de la Villa. Cæterum fateri quoque necesse est ad substinendam apprehensionem sufficere partem fundi passiui, in quo iura exercentur apprehendere absq; eo, quod totum fundum apprehendatur, si enim his qui iura deberi sibi prætendit vult restrigere ad partem fundi, siue territorij negando, aut negligendo alibi sibi iura deberi, ea tamen parte seruiente contentus, tunc ad Iudicem solum spectat ad eam tantum partem territorij apprehensam suam sententiam restringere, non vero ex eo quod totum territorium non sit apprehensum apprehensionem annullare. Quod si replicetur iura præ-

fata

fata deberi à personis personę Comitis, sicq; iura esse personalia, non realia, neque à territorio deberi euidentius, hanc nostram sententiam comprobabimus, quoniam, tunc sufficiens erit solam domum Vniuersitatis apprehendere, vbi concilium solet congregari, non totum territorum, & Vniuersitatem, quemadmodum qui apprehendit aliquod beneficium Ecclesiasticum respectu iuris percipiendi fructus, nam his non tenetur omnia præbenda fructus ipsi beneficiato debentia apprehendere, sed solum ipsam Ecclesiam, aut Capellam, aut stallum in Choro, siue sellam talis Beneficiati: hinc quoque fit, quod ad apprehendendam quamlibet Notariam de Caxa huius Ciuitatis, quamuis in toto territorio ius illud exerceatur debeaturque apprehendenti, siue á rebus, siue à personis sat est, si domus vulgo dictas las casas de la Puente de Çaragoça apprehendantur absq; eo quod tota Ciuitas apprehendi debeat; vel quia sufficit partem fundi, siue subiecti apprehendere, vel quia in dictis domibus præfata iura principaliter exerceantur: ergo apprehensio annullanda non erit in nostro processu ex prædictis rationibus, & causis nam iura respectu quorum apprehenduntur, non careant subiecto, cui adhereant qualis est domus dictæ Villæ in quibus dicta iura, licet non totaliter quasi tamen in parte territorijs exerceri solent, nihilq; interesse an ibi semper exerceantur, sed an ibi exerceri posѕint ad apprehensionem conseruandum ex quibus, & alijs annullationem supplicatam locum non habere censemus, & aliàs Attent. Content. &c.

SIG ✠ NVM mei Iosephi Iubero Scribæ mandati suæ Maiestatis, ac Cæsaraugustæ domiciliati, authoritateq; Regia per totam terram, & dominationem Domini nostri Regis publici Notarij, qui huiusmodi vota, & opiniones à libro, siue regestro Regij Consilij Ciuilis præsentis Regni de anno supradicto, vbi continuata existunt extraxi, & cum eo bene, & legaliter comprobaui, in quorum fidem, & testimonium hoc meo solito signo signaui.